



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Cvm Invocarem exaudiuit me deus iustificiæ meæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

omnia conciliare: Ad uictoriam, uictori, ad inuitatorium, In finem, quod omnia huc spectent, ut animati hoc spiritus incitabulo, uincamus, & finem obtineamus hostium & omnium peccatorum, quo non superfit, nisi triumplus gloriæ.

In organo, non est dubium genus pro specie, id est, citharis, accipi. Dicitur hoc loco nomen commune in hebræo, ad omne musicum instrumentum. De laude & uirtute musicæ sileo, quæ ab alijs abunde tractantur, nisi quod hic apparet, usum musicæ fuisse olim sacrum, & diuinis rebus accommodatum, successu temporum (ut omnia) in luxus & libidinis seruitutem redactum. Nam hinc spiritus malus Saul pellabatur, j. Regum. xvj. Et Heliseo spiritus propheticus dabatur, iij. Regum. iij.

Musices usus sacer olim, in nostræ Eccle siæ errore ad turpē luxum redactus.

Varie (ut dixi) hic obscurissimus psalmus expositus est. Augustinus, aut uerba Christi post resurrectionem, aut hominis in Ecclesia credentis & sperantis in Christo esse credit, Liram & Burgen. omitto, quorum ille de Dauid contra Saulitas, hic contra idolatrias eum accipit. Hieronymus arbitratur non nisi de Christo intelligendum, Singulæ horum interpretationes extra captum meum sunt, sequar spiritum meum, & abundabo in sensu meo, citra cuiusque præiudicium. Ego somniaui mihi, hunc psalmum esse generalem quandam exhortationem ad totum populum dei, præsertim eos, qui operum & uiarum dei ignari, crucis sapiētiā exhorrent. Inter quos primi fuerunt & sunt Iudæi, filij Israel, quos maxime oportuit in hac re esse peritos. Nam, ut Ro. iij. Apostolus dicit: Scimus, quæcumque lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur. Quare Dauid una suarum tentationum, uel multis potius probatus, exemplo suo docet, quid agendum sit, & quo modo habendum in quacumque tribulatione. & sic iuxta titulum, erit psalmus exhortatorius ad uictoriam, quod & ipsa uerba indicant, quibus sese doctorem illorum ostendit, dicens: Filij uiri scitote, trahimini, sacrificare, sperate &c.

CUM INUOCAREM exaudiuit me deus iusticiæ meæ.

Statim ab initio molliculos & querulosos erudit suo exemplo docens, non alio curendum, sed dominum inuocandum in tribulationibus qui buscumque. Quoties, inquit, inuocaui, inuocaui autem quoties tribularer (ut psal. cxix. Ad dominum cum tribularer clamaui) toties me exaudiuit, adeo uel delictis clemens & promptus est misereri dominus clamantium ad se, ut quid ergo uos molliculi omnia repletis querimonijs, uana solatia quaritis, ad hominem cōfugitis, & hoc unum remedium nescitis nec quaritis?

Obserua diuinum artificem & rhetorem incomparabilem, eodem exordio tria facit: Primo, ad filios hominum uersus, ac fraterna charitate pro eis sollicitus, docet quo fugiendum sit tribulatis, atque id proprio exemplo, & modestissima iactantia. Ego, inquit, sic solitus sum facere, quod & uobis faciendum arbitror. Secundo, ut reddat eos beneuolos & obsequentes, diuinam simul commendat clementiam, exaudiuit me, inquit, q. d. persuasum habeo, quod & uos sitis clementissime exauditurus, modo uos audeatis & inuocetis. Tertio, quod principale erat, sicut optimus Orator a gratitudine & laude incipit, qui est apud deum & homines optimus beneuolentiæ captandæ modus. Sic enim

Artificium orationis diuini spiritus.

E iij iubemur

subemur & dominicam orationem ordiri, Pater noster, eo uerbo omnia
ficia dei, affectu dulcissimo comprehensa repetentes.

Hoc est nimirum quod uerbum ad filios hominum uertit, quod tamen
buerat ad deum uertere, uerum noluit illos relictos, & solus & uacuus
ad conspectum dei, ideo & beneuolentiam gratis captat, simul & fratrum
luti cupidus erudit infirmos, nam sequenti parte, mox ad solum deum
uerbum, dicens: Dilatasti mihi, ubi iam, quos allocutus est parte prior, ser
ad dei conspectum perduxerit, ut iam non solum audiant, quid iecerit in pe
teritis tribulationibus, sed etiam uideant exemplum, quo soleat ad deum
fugere praesenti tribulatione, ita uerbo & exemplo suauissime confortantur.

*Iusticia mea
egregie tra=
datur.*

lam illud, deus iusticiae meae, qd sine periculo dici quoq; potest, deus iusticia
mea, quam qd non negem significare, iusticiam esse a deo, & quod solum deo
iustificet, tamen uideretur mihi Propheta tangere summam questionis seu que
rela, quam solent infirmiores praetexere, scilicet, qd sibi iniuriam fieri arbitra
tur ab aduersarijs, ideoq; iuste se indignari & irasci, quos Propheta non ac
be exagitans, sed suo exemplo (ut dixi) suauiter erudiens, monet obliuisci
am iusticiam, eamq; cum tota causa tradere deo iuste iudicanti, nec plus sibi
rogare de iusticia, qd deo uisum fuerit, sicut de Christo dicit Petrus, i. Pe. 2.
Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminaba
tur, tradebar autem iuste iudicanti (id est, rem deo commendabar, qui iud
cat iuste) Ita hic dicit: Quoties ego iniurias patior, inuoco deum iusticiae meae,
hoc paratus habere pro iusticia, quicquid ille iudicauerit: Quare aliam iusticiae
am meam ignoro, nisi ipsum deum, eiusq; sanctam uoluntatem, Nonne ille
est artificiosissimus modus consolandi infirmos, non damnare quidem eor
rum causam, nec iustificare, sed ab eis tollere, & in deum trāsferre, simul ipsos
cum causa in deum rapere, ut iusticiam suam id ducant, quicquid deus fecerit,
atque ita dei uoluntatem patienter ferant. Hunc sensum eo libentius sequor,
qd iusticia mea, mihi, usu scripturae magis causam propria significet, qd gratiam
illam iustificantem, quam potius iusticiam dei appellat. Ro. 1. Iusticia dei re
uelatur in illo ex fide, Et psalmo. xxx. In iusticia tua libera me (non utique in
mea) Contra Gen. xxx. Respondebitq; mihi cras iusticia mea. Et psalmo. vii.
Iudica me domine secundum iusticiam meam, & secundum innocentiam me
am super me. Haec est enī iusticia inter homines, quam & ipsam iudicat deus,
licet nulli satis sit coram deo. Et fit, ut iniique aliquando inferatur, quod tamen
non iniique sustinetur. Recte ergo eos reuocat a fiducia iusticiae suae, & in de
um transfert, ne forte multo maiora digni sint pati coram deo, quam cum libet
iusti sint apud homines.

*Consolandi
docta ratio.*

*Iusticia inter
homines.*

Iura hominū.

Et sane est haec doctrina utilissima, hominibus semper neglecta. Nam si haec
seruaretur, tot fora, iurgia, iura, lites, causae non essent. Oium enim hominum
ore iactatur iusticia iusticia, ius & ius. Rarus est, qui ad exemplum & uerbum
huius prophetae iusticiam suam, deo commendet, sinatq; eum esse deum iusti
ciae suae, seu potius iusticiam suam. Hinc totus orbis pro iusticia & iure tumul
tuatur, bellis, caedibus, litibus, & infinitis peccatorum & malorum monstris,
& fit, ut iusticia sit causa fere sola omnium iniusticiarum. Sic enim excipiat eos
error, quod statim etiam apud deum iusticiam esse putent, quicquid suis dicta
minibus cōsilijs, & hominum decretis iusticiam esse didicerunt, de qua re, nisi
alia nunc ageretur, multa essent necessario dicenda.

In tribus